





DE  
FUNDAMENTIS VARIANTIUM IN DOCTRINA

DE  
MATRIMONIO OPINIONUM  
DISSERIT

ET  
AD PRÆLECTIONES

IN  
PRIORES TITULOS LIBRI QVARTI  
DECRETALIUM

DE  
**S P O N S A L I B U S**

ET  
**M A T R I M O N I S**

INVITAT  
**CHRISTIANUS GODOFREDUS**  
**HOFFMANNUS, JCtus.**



FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
Typis TOBIÆ SCHWARTZII. M D C C XXIII.





## De Fundamentis variantium in Doctrina de Matrimo- nio Opinionum.



A Jurisprudentiæ nostræ est conditio, ut in gravissimis etiam doctrinis maximo DD. obnoxia sit dissensui, qui cum dissentibus tum in foro agentibus moleftus ac tardii plenus esse solet. Antiqua illa est de *juris incertitudine* quæla, quam inanem esse multi crediderunt non vulgaris existimationis JCti, quos tamen vel ad quotidianam experientiam infinitas in jure variationes manifestantem non respexisse credo, vel, quod sæpius excellentiis ingenii evenire solet, non raro deprehendi multos fibi de se approbatis doctrinis unice acquiescere, fibi persuaserunt. Ea quidem juris certi persuasio ejus haud ingreditur mentem, qui Virorum pari autoritate pollutum in una eademque materia ve- hementissimam & magna cum fiducia proditam dissensionem con- institutum, a quo tamen non alienum erit, si insigniores memor- vero. Non dicam multos Virorum DD. ad disputationes procli- ves in defendendis suis opinionibus nimis tenaces & nonnun- quam sincero veritatis amore destitutos esse, quæ cum virtutis ho- minum fint, nobilissimæ juris disciplinæ non imputari possunt. In ipsa tamen juris arte variæ occurrunt difficultates, ex quibus tanta opinionum oriri potest discrepantia. Versatur Jurispru- dentia circa humanarum actionum infinitas formas atq; species, ex qua diversitate aliqua circa legum applicationem nascitur obscuritas; accedit legum a se invicem discrepantium & diversis prorsus principiis innitentium multitudine, quæ diversas in jure dissentias non potest non excitare; in primis autem enormem illam disso-

diffonantiam, quam manibus palpamus, *traditioni illi legitime*, quæ  
penè utramque hodiernæ Jurisprudentiæ paginam facit, censeo,  
tribuendam esse, cum ea mater sit tot opinionum, quæ & in scho-  
lis & in foro regnare dicuntur, atque sacerdos sine legum autori-  
tate, imo nonnunquam sine rationis præsidio propugnantur.

Si qua vero in vasta juris disciplina reperitur doctrina, quæ  
dubiis ac contradicentibus sibi aperte sententiis laborat, ea sane  
est, quæ *causas matrimoniales* tradit, in quibus adeo inter se dissi-  
dent Viri docti, ut de diversissimarum in hac materia opinionum  
conciliatione pene desperandum sit. Nulla ferme movetur quæ-  
stio, quæ non in utramque partem ventiletur. In primis doctrina,  
de gradibus probabilitatis, de impedimentis matrimonii illiusq[ue] dirimendi  
*iustis causis* maximis vexatur controversiis, ex quibus sacerdos do-  
centibus non enitendum, tantum abest, ut discentes ex hoc opini-  
onum Labyrintho se extricare queant. Notæ satis sunt illæ  
quæstiones, quæ & Theologos & JCtos exercere solent. Prostant  
varia harum disputationum exempla: Non latent, quæ HENRI-  
CI VIII Anglie Regis matrimonium cum fratri vidua ambiente fue-  
runt acta, quæ recensuit BURNETTUS in *historia reformationis an-*  
*gllicane* p. 2. PHILIPPI Hassiae Landgravii secundum matrimonium,  
stante adhuc priore, contractum, diversa subiit judicia, quorum  
specimina dederunt BOSSVETIUS ad calcem lib. 6. *historia de Va-*  
*riationibus & BASNAGIUS in Historia religionis ecclesiastarum reformata-*  
*rum*. Grande opus lucem aspergit in causa Principis Oettingensis  
ALBERTI ERNESTI, quando quæstio agitabatur, utrum aliquis  
demortuus uxor sororem salvis legibus divinis in matrimonium ducere que-  
at? Eadem controversiam occasione responsi Rintelenis Facul-  
tatis suscepserat CHRISTOPH. JOACH. BUCHOLTZ in adseritione  
*reponsi juris pro matrimonio Principis cum defuncta uxoris sorore adver-*  
*sus argumenta* JOH. OTTONIS TABORIS J.C. & MICHAELIS  
HAVEMANNI Theologi, cui HAVEMANNUS adseritionem *reponsi*  
*Mosis contra matrimonium cum defuncta uxoris sorore opposuit*, quam  
rursum BUCHOLTZIUS speciali scripto sub examen vocavit.  
Recentiora funt, quæ Vir Celeberr. D. LUNIGIUS in *Consilii pu-*  
*blici Tom. II. p. 151. 1572.* de eadem materia 1631. & 1633. exhibet.  
Quam diversas de *comprivignorum matrimonio* foveant Theologi  
atque Jureconsulti sententias, doctissimo scripto docuit PERIL-  
LIUST. DN. BERGERUS in elegantis disquisitione *de Comprivi-*  
*gnorum Matrimonio*. In multis aliis casibus dissensum Virorum Cla-  
risimo-

gissimorum annotavit HIERON. BRUCKNERUS *Decisionum juris matrimonialis controversi Cap. V.* p. 191. Nobis hęc speciminis loco adduxisse sufficiat: Si enim ad alias circa matrimonium ortas controversias progredi, easque recensere placeret, statutos praeſentis disquisitionis terminos egredi necesse foret.

Me potius ad illam jam converto quæſtionem, quænam vere ſint tam variis diſſenſus cauſe, quæ illius funda menta? Generalia, quæ ſuperius adduxi, jam non repetam, ea, quæ ſpecialius diſſenſias opinio nūm in cauſis matrimonialibus attingunt, prolatus. Quis autem non videt diſſonantiam hujus doctri na maximam partem ex diſeritate principiorum, quibus in decidendis illis cauſis utuntur, originem trahere.

Primo quidem extra omne dubium eſt, quod ſecundum vulgarem doctri na cauſum matrimonialium iuſtitia ex canonis legibus examinari debeat. Egit illa opinio etiam in Protestantium foris altissimas radices. Animadvertit jam pridem B. LUTHERUS, quam abſona fit Canonistarum de matrimonio doctri na, qui laudabili exemplo matrimoniales cauſas ſeculari foro traſtantas in elegantissimo libello docuit v. Witreb. Oper. Tom. VI, & Altenburg. Tom. V. p. 371. Ait non vincere poterat in veterata Jutorum præjudicia, quæ juris canonici traditionibus morditus inharebant. Prodiſit Doctorum iſtius ſeculi principia clarissimum ſui avi JCTus MELCHIOR KLING in praſatione ad traſtatum matrimonialium cauſarum, in qua de origine & autoritate juris canonici, quo ad cognitionem & decisionem cauſarum matrimonialium, fuſe egit. Vix enim illis temporibus ultra juris civilis vel canonici volumina ſapere conſeffum. Hinc cum ple ræque leges romano-justiniæ morib⁹ circa matrimonia ex canonum traditionibus potiſſimum introductis minime conve nire viderentur, in materia ſponsaliorum & matrimonii, utro que jure multis modis diſcrepante, antiquis doctri nis five potius erroribus canonicas ſan ctiones magis respondere ſentie bant, earum tanquam ſan ctissimarum atque religioni magis con ſentanearum acerrimi defenſores extiterunt. Sed gravifimos nævos in ſinu ſovabant pontificia jura, quæ matrimonium ſacra mentis novi testamenti accenſuerunt Guil. ALANUS de Sacramen tis pag. 150. & 154. primo quidem latiori ſignificatione, qua ſucces ſu temporis occaſionem præbuit, ut etiam ſtrictiori & proprio ſenſu ſacramentis annumeratum fuerit. Ita intelligi vult MARTINUS V. in.

V. in constitutione, quæ in fine Concilii Constantiensis edita. Clari-  
us loquitur EUGENIUS Papa IV. in Concilio Florentino seu in de-  
creto pro Instructione Armenorum, quam doctrinam rursus anathema-  
tate corroboravit Synodus Tridentina Sessione vigesima quarta. Et hæc  
basis fuit ac fundamentum, cui infinitas superstruxerunt con-  
clusiones, quarum non exiguum copiam sub uno conspectu  
exposuit Oratorii Gallicani Presbyter CASPARUS JVENIN in  
Commentario Historico & dogmatico de Sacramentis pag. 722. Sed jam  
explosus fuit ille error primis felicissimæ reformatæ religionis  
temporibus: & quanquam APOLOGIA AUG. CONFESS. ART.  
XIII. p. 202. matrimonium sacramenti titulo insigniri permittat,  
ex ipsa tamen verborum inspectione patet, hoc loco sacramen-  
ti vocem proflus alio in sensu venire. Hinc optime LUTHE-  
RUS allegato loco matrimonium ad externa & civilia negotia  
retulit verbis satis luculentis: Es kan ja niemand läugnen, daß  
die Ehe ein äußerlich weltlich Ding sei, wie Kleider und Speise,  
Haus und Hoff weltlicher Obrigkeit unterworfen: & CALVINUS  
lib. 4. Institut. cap. 19. §. 34. non sine ratione docet Sacramenti na-  
turam non magis convenire matrimonio, quam agriculturæ,  
aut tonstrinæ aut tutoriæ arti. His tamen artibus cause matri-  
moniales ad forum ecclesiasticum tractæ jurisdictioni pontificiæ  
subjiciebantur, quæ cum nullum modum arrogata sibi potesta-  
tis servare didicisset, novas indies leges cudebat, quibus matri-  
moniale jus omne circumscriptum, durissimum Laicis impone-  
ret jugum, adeo ut non ultimum dominatus pontificiæ arcana  
in legibus matrimonialibus absconditum esse viri cordati agno-  
verint, ex quibus nominandi CASP. ZIEGLERUS in annotationi-  
bus ad Lancelotti Institut. Jur. can. ad lib. II. tit. XIII. & HENRICUS  
HEDEGGERUS in anatre concil. Trident. ad sess. XXIV. qu. II.  
& III. p. 984. Imo ex ipsis Pontificiis multi de transgressis ecclæ-  
siasticæ potestatis limitibus conquesti fuerunt, inter quos emi-  
net JOANNES LAUNOJUS, qui non modo singulari libro de  
Regia circa matrimonium potestate egit, verum etiam Itali Scripto-  
ris DOMINICI GALESII librum de ecclæstica in matrimonium po-  
testate multorum redarguit errorum. Facile inde colligimus,  
quam lubricam illi elegerint viam, qui in causis matrimoniali-  
bus juris canonici definitiones cœco impetu amplectuntur, quas  
tam erroneis principiis inniti & infidiosis consiliis scatere  
diximus. Si illa separemus a paucis doctrinis, quas tuto in

Protestantium foris adhibere possumus, exiguum, ni fallor, juris canonici usum in causis matrimonialibus deprehendemus. Hinc concludimus: non ultimam rationem dissentus in questionibus de matrimonio in usu incauto & supervacaneo juris canonico-pontificii querendam esse.

E contrario alii juris canonici figmenta, præjudicia & artes perspicentes ad nimiam deflectunt libertaten, & juris matrimonialis conditionem ex solo rationis dictamine estimant. Inde fieri solet, ut plerumque in nimiam proni sint licentiam, de eo tantum solliciti, quod primis ac generalioribus æquitatis naturalis principiis contrarium esse, in oculos statim incurrit: alii subtiliorem amant philosophiam & vel ex ipsa lege naturali matrimonii officia extendunt, imo pene prohibitiones illas matrimoniales ex lumine naturæ docere, suscipiunt, in eo tamen frequentius falluntur, quod id jure naturæ definitum esse credant, quod rationi non contrarium, verum potius variis argumentis, ut honestum & homine dignum commendari potest. Non observant naturalis & positivæ legis terminos, quos confundunt, quamvis non negem, opera pretium esse, ut legum positivarum cum naturali æquitate connexionem demonstremus, qua præstantiam, utilitatem & necessitatem juris positivi evincere potest: Quamvis velim, ut ab utriusque juris confusione abstineamus, quæ tot litium & controversiarum mater fuit. Huc spectant notissimæ de Polygamiâ, Concubinatu, libertate matrimonium intra gradus prohibitos contrabendi, divorciorum permissoне & similibus acerrimæ quandoque disputationes, quibus inter se viri docti saepius commissi fuerunt. Hinc novam difficultatum causam deprehendimus in eo positam, quod nonnulli causas matrimoniales ex solo rationis lumine examinari velint, & alii illorum casuum justitiam modo ex generalibus prohibitionis naturalis principiis dijudicare, alii autem illud etiam a naturali lege exactum velint, quod excellentiori quodam gradu ex virtutis & honestatis amore derivari potest. Igitur cum rarius hac principiorum diversitas, aut potius diversi illorum termini observentur, facile disputatio in dissensum graviorem, sed aliquando proflorus inanem abire potest.

Nonnulli & leges naturales in matrimonialibus causis non sufficere credunt, & illos, qui omnes singulasque prohibitiones ex rationis dictamine deducere volunt, multum sibi laboris facessere & remotoribus ac aliquando parum concludentibus argumentis uti vident: Hinc ad revelationem recurrent & ex sacram

rum



rum litterarum autoritate quæstiones illas dirimere volunt. At hic novas difficultates inveniunt, non facile superandas. Deum enim in sacro Codice summum legislatorem venerantur, qui & populo judaico & universo humano generi præscripsit leges, quas multi in *particulares* & *universales* dividere solent: Constanus porro est DD. opinio, illas minime obligare Christianos, multi de hanc existentia dubitant. Hic jam vertitur controversia cardo: Applicatio enim legum particularium ad regulas vita Christianæ non semper tutò instituitur, & testantur vetera monumenta pleraque, clericalis dominatus recentiora fundamenta in perverso ordine ad hodiernum Ecclesiæ Christianæ statum applicatis legibus Mosaicis sita esse. Hinc primaria difficultatis & incertitudinis, qua in causis matrimonialibus laboramus causa, in eo deprehenditur, quod leges mosaicas & particulares sine discrimine hodiernis questionibus matrimonialibus non pauci applicare soleant, & quod alii omnia, que in sacris litteris de matrimonio leguntur, ad Christianorum forum minime pertinere, ad minimum eos perfecte non obligare, sibi persuadeant.

Plura, ut addam, instituti ratio haud permittit. Amplum differendi campum publicæ mihi lectiones, in Academia nostra habendæ, aperiunt. Coenovit me gravitas ac difficultas hujus doctrinæ, ut speciali atq; fusiori tractatione dignam habuerim. Novi quidem, quod occasione titulorum in institutionibus, digestis, codice, in primis autem in lectionibus canonico juri destinatis ea materia examinari soleat. Ast cum id eo, quo opus esse credo, ordini ac methodo fieri nequeat, ea vero doctrina præ reliquis in optima principiorum connexione tradi debeat, & probe noverim exauriri non posse intricatam illam materiam in ordinariis lectionibus, eam autem omnino mereri, ut dilucide Legum amateuribus exponet: In animum induxi, *primaria juris matrimonialis capita* in publicis lectionibus tradere, in id allaboraturus, quo futuro Festo Michaelis ad ipsius juris CANONICI tractationem accedere, & illud intra semestre absolvere queam, cuius instituti rationem, cum jam allo in loco sufficienter exposuerim, hoc loco non referam. Nihil supereft, quam ut *Nobilissimos Com-militones officiose compellam*, ut publicis meis lectionibus sedulo interesse velint: Ceterum etiam in privata mea qualicunque institutione eorum desideriis atque proficiendi studio nunquam deero, omnes, quorum interest, ut meis conatibus favere velint, humanitate, quanta possum maxima precatus. P. P. *Mense Aug. M. DCC. XXIII.*

CON-



# CONSPECTUS LECTONUM de CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

Agitur.

- I. de Fundamentis Decidendi causas matrimoniales: De juris civilis, canonici, naturalis & positivi divini usu.
- II. Quod Matrimonium non sit sacramentum; conclusiones inde descendentes: An sit negotium mere civile?
- III. De Causis matrimonium impedientibus vel dirimentibus, in primis de prohibitis gradibus affinitatis & consanguinitatis.
- IV. De Sponsalibus & requisitis ad matrimonium contrahendum conditionibus.
- V. De Dissolutione sponsaliorum.
- VI. De Divortiis eorumque iustis causis, nec non de delictis in causis matrimonialibus.
- VII. De Dispensationibus in casibus dubiis & legibus prohibitibus.
- VIII. De Foro & Processu in causis matrimonialibus.



Frankfurt a. O., Diss., 7720-24


ULB Halle  
004 549 52X

3



f

56.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



1723,6  
A2

FUNDAMENTIS VARIANTIUM IN DOCTRINA  
DE  
MATRIMONIO OPINIONUM  
DISSERIT  
ET  
AD PRÆLECTIONES  
IN  
PRIORES TITULOS LIBRI QVARTI  
DECRETALIUM  
DE  
**S P O N S A L I B U S**  
ET  
**M A T R I M O N I S**  
INVITAT  
**CHRISTIANUS GODOFREDUS**  
**HOFFMANNUS, JCtus.**



FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
Typis TOBIE SCHWARTZII. M D C C XXIII.

